

secunda illas usque ad annum 1628, tertia Ephemerides ab anno 1629 in annum 1636. Cum deliberatum nobis ac constitutum sit, *tabulas* in hac nostra editione operum Kepleri quam paucissimas addere, censuimus, ut habeat lector, quo Kepleri mentem in construendis Ephemeridibus cognoscat, unam paginam typis excudendam curare. Descriptionem vero et calculum eclipsium Solis et Lunae, quae singulis Ephemeridibus praemissae sunt, atque ex illis Ephemeridibus, quas exacto anno cui inscriptae sunt edidit Keplerus, observationes adscriptas meteororum aëris et tempestatum mutationes et carptim partem aspectuum in calce annotatorum adjunximus.

Ephemeridum prima pars sic inscripta est:

EPHEMERIDES NOVÆ MOTUUM CŒLESTIUM

ab anno vulgaris aerae MDCXVII. Ex observationibus potissimum

Tychonis Brahei,

Hypothesibus Physicis et Tabulis Rudolphinis;

Ad meridianum Uranopurgicum in freto Cimbrico, quem proxime circumstant
Pragensis, Lincensis, Venetus, Romanus.

Praemittitur 1. Explicatio fundamentorum Ephemeridis, praesertim ubi in motibus Lunae a libro Progymnasmatum Brahei recessum; ubi respondetur ad crebras interpellationes **Davidis Fabricii** astr. Frisii ejusque opiniones circa umbram Terrae et alias jucundas materias examinantur. 2. Instructio super nova Ephemeridis forma et causae mutatae formae consuetae, ex sanioribus astrologiae fundamentis.

Adjectae sunt primae Ephemeridi anni 1617 observationes meteorologicae ad dies singulos et astronomicae nonnullae.

Cum S. Caes. Maj. Privilegio ad annos XXX.

Authore **Joanne Keplero**, Imp. Caes. Matthiae Ordinumque
Austriae Supra - Anisam Mathematico.

Lincii Austriae, sumptibus Authoris

Excudebat JOHANNES PLANCUS.

Ad D. MATTHIAM, ROMANORUM IMPERATOREM

S. Augustum P. F. P. P.

Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regem, Archiducem Austriae etc.,

Dominum meum.

Augustissime Imperator.

Octavus annus agitur, ex quo Commentaria mea de motibus Stellae Martis *Imperatori Rudolpho II.* Sacrae Caesariae Majestatis Vestrae Antecessori Fratri l. m. publicis typis descripta exhibui aususque sum, animo praeconcupere successum in reliquis etiam planetis, si me sereno vultu respiceret Diva Nummonia. Nec abnuit Imperator magnificentissimus, coelestis scientiae famaеque